

Johannes Corfinius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johann Corfinius, SS. Theol. D. Moraliū Professor, & Pastor D. Mar. Ad Exequias Quae ... luveni Jacobo Krauthoff Rostochiensi, Politioris Litteraturae Studioso, Filio dilectissimo, A moestis Parentibus Hodie Hora 1. parabuntur, Ordinum omnium Cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771910371>


Druck Freier  Zugang



Corfinius, J.  
in  
**J. Krauthoff.**  
Rostock, 1653.

19.
















PROGRAMMA  
*Quo*  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
JOHANNES CORFINIUS,  
SS. Theol. D. Moraliū Professor,  
& Pastor D. Mar.

Ad  
*Exequias*

*Quæ*  
ORNATISSIMO JUVENI  
JACOBO Krauthoff  
Rostochiensi,

Politoris Litteraturæ Studioſo,

Filio dilectissimo,

A mœſtis Parentibus

*Hodie Hora I. parabantur,*

linum omnium Cives Academicos  
peramanter vocat.



✽(o)✽



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M, DC, LIII.

19

19




PROGRAMMA

PROGRAMMA

PROGRAMMA

PROGRAMMA





Ntiquo more receptum est, ut de  
sobole prognatâ Parentibus aliquo ne-  
cessitudinis nexu nobis devinctis gra-  
tulemur, atq; condoleamus contrâ si li-  
beros nece immaturâ tolli cernamus,  
rectius proculdubio facturi, quod si Ge-  
nitoribus gratulationes offerremus, ubi placidâ beatâq;  
emigratione ex squalidâ ærumnarum valle eorum evo-  
cati fuerint filii. Infrunitus profectò arbitrato singulo-  
rum censeatur, qui fronte exporrectâ Patri congratu-  
laturus esset, dum ad nosodochium deferri cerneret ejus-  
dem filios, ut Medicorum opem atq; apparatus pharma-  
corum ibidem adhiberent, potiori jure gaudium erat  
exprimendum sicubi ex prisco morbidorum domicilio,  
& ergastulo liberos extractos prehenderet; idem de  
mundo sentire veritas jubet, quem quotquot intrant,  
ad commune cooptantur nosodochium, non citius inde  
avocandi, quam vitæ clausula appropinquabit, unde lu-  
ctu excipiendi sunt, qui ingrediuntur, plausu vero qui  
discedunt, quod Trausos observasse Histores produunt.  
Equidem incautos complures mundi qualecunq; sche-  
ma lancinat, qui meras in isto sibi pollicentur gazas, di-  
gnitates, rerumq; præstantissimarum affluentiam, verun-  
tamen cœcutientes ipsimet propriis sibi insidias struunt  
glaucomatibus: Orbem si pensiculatè intueamur, con-  
vincemur oppidò, quod immensis passim horrendisq;  
implexus sit periculis, quoquò vertamus oculos, ubiq;  
delictis inquinatos, prævaricationum cœno collutu-  
latos affatim deprehendemus, qui catenis vitiorum se



iplos constringere, unde periculum emergit maximum, ut reliqui eorundem coetui se associantes in errorum quoq; vada protrahantur. Gentilium Poetae pericula ista delineaturi varia effinxerunt monstra, in primis Hecaten produxerunt tricipitem, cujus unum caput caninum erat, equinum alterum, tertium deniq; humanum, quod facie tamen hispidâ & admodum rusticana efformarunt: Revera orbis Hecate est, cujus caninum caput truculentiam refert & rabiem, quâ canum more mundani alios allatrant & invadunt, nulli tuto & securo esse licet, antrorsum & retrorsum immerentes vexantur: alterum caput equinum, fastum exprimit & ferociam, ad superbiam etenim atq; audaciam maximè proclives esse equos evidens est, neq; aliter fastu turgent, qui in orbe rerum exoptatarum potiunrur, videas hic opulentos ob possessiones suas intumescens, honoratos ob dignitatis fastigia cristas erigentes, alios deniq; qui ob fortunæ aliquantum abblandientis accessum capita extollunt: hispidum verò & rusticianum illud tertium caput insipientiam depingit, quæ passim grassatur, & facie suâ rusticana meram deformitatem exhibet, Ecquis non gaudio perfunderetur, ubi immane istud monstrum feliciter evitasse dilectissimas suas animas cernit, & ad illū jam devenisse coetum, ubi monstrorum & periculorum nihil restat, ubi mera tranquillitas, & gaudiorum abundantia affluit. In terris quantisper degunt neutiquam à pestifero contagio Nostrates erunt immunes, quantumq; etiam fuerit humanæ indolis integritas, perpetuò malignitatis lues nihilominus adhærescit, quæ universas animi facultatis usq; adeò labefactat, ut ad mala quævis non tam vergere, quam lapsu citatissimo ruere videantur. Vitiis plena sunt omnia, nihilosecius evanescent-



nescentis mundi amor maximam hominum partem  
abripit : Optimè hæc olim Antistes Orthodoxus ex-  
pressit. *Quam rarus in terris est* (inquit) *qui nihil commune*  
*habeat cum seculo, qui nihil mundi hujus sibi vendicet, quem non*  
*inflammet libido, non stimulet avaritia, neq; lascivia effœminet,*  
*non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invi-*  
*dia, neq; aliqua negotiorum secularium cura sollicitet; Mundus*  
*qui diligitur fugit, & nihilominus stulti hunc fugientem sequi-*  
*mur, labenti tamen adhaeremus, & quia labentem retinere non*  
*possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus.* Ista  
cum probè sciant mortales, neq; verò discutiant exa-  
ctissimè, & sedulo secum reyolvant, fundi nostri magna  
est calamitas, quam ubi rectius examinaverint prudenti-  
tiores, facile à nimio luctu desistent, ubi mundo renun-  
ciaffe Filios optatissimos viderint. Hoc ubi ad animum  
quoq; revocaveris *Vir Consultiissime* (quod Te omnino fa-  
cturū esse nulli dubitamus) moerorem quem ex Filii dis-  
cessu concipere poteras, facile removebis, namq; pro  
accuratâ judicii dexteritate evidenter cognosces, Na-  
tum hunc admodum faustè ex Orbe furibundo esse ere-  
ptum, & procellas decumanas, quibus deinceps exagi-  
tari potuisset, nunc penitus evitasse; quocirca cum pro  
candore paterno optima quævis dona ipsi viventi exo-  
ptaveris, ista quibus potitus est, nunquam invidebis,  
neq; ægrius feres, quod ocysimè ad illas concesserit.  
Patriæ oras, ad quas Te aliquando feliciter quoq; trans-  
latum iri piè confidis. Cum verò Filius ipse ulteriori  
virtutum studio sibi monumentum erigere nequiverit,  
ne penitus memoria ejus collabascat, pauculis exprime-  
mus quibus ipse Majoribus vitæ originem debuerit. E-  
ditus est in lucem Ornatissimus & Optimæ Exspeçta-  
tionis Juvenis JACOBUS Crauthoff/ Anno hujus sæculi



trigesimo tertio die 23. Junii, Parente Viro Amplissimo  
& Consultissimo, Dn. CHRISTOPHORO Krauthoff/  
J. U. Doctore, & Practico excellentissimo, Amico no-  
stro plurimum honorando, Matre verò Lectissimâ &  
Morum ornatu Egregiâ Fœmina CATHARINA  
Wilmes / Avum Paternum habuit Spectatissimum &  
Prudentissimum Dn. JACOBUM Krauthoff / Virum  
Ordinis Senatorii apud Neobrandenburgenses laudatis-  
simum, Aviamq; Paternam Matronam Honoratissi-  
mam, & ex Nobili prosapiâ oriundâ DOROTHEAM  
KAMPZEN. Proavos ex ista linea præterea habuit,  
alterum quidem Virum Consultissimum & Prudentissi-  
mum Dn. JACOBUM Krauthoff / in Neobrandenbur-  
gensi Republicâ Consulem quondam meritissimum, cu-  
jus Uxor erat REGINA Heins / Fœmina Lectissima; al-  
terum verò Virum Reverendum pl. & Nobilissimum,  
Dn. HERMANNUM KAMPTZEN, qui Anno su-  
perioris sæculi septuagesimo secundo in Lanienâ Lu-  
teticanâ juxtâ cum reliquis orthodoxæ fidei Confessori-  
bus præsentissimo vitæ periculo fuit expositus, quod ut  
cœlesti protectione interveniente effugeret, voto con-  
cepto se Deo obstrinxit, si intentatam evitaret ne-  
cem, se Deo in Ecclesiasticâ functione ministraturum,  
cumq; incolumis evaderet, Deo liberatori votum exsol-  
vit, & renunciato Jurisprudentiæ Studio (cui antea se  
consecraverat) ad sacrum Theologiæ Studium animum  
applicavit, atq; tandem Archidiaconi munere in Neo-  
brandenburgensi Civitate laudabiliter functus est. In  
Linæâ Maternâ Avum agnovit Virum Integerrimum  
& Spectatissimum Dn. JOHAN Wilmes / Civem &  
Cerevisiarium Rostochiensem Primarium, Aviam de-  
niq; Nobilissimam & Laudatissimam Matronam I N-  
G E.



GEBURGEN Gammen / Proavus verò Maternus  
erat Vir Strenuus & Nobilissimus Dn. HENNING  
Gamme / Hæreditarius in Gôren & Schwerrin cu-  
jus Uxor Nobilissima fuit CHRISTINA Nestorffen.  
His editus Genitoribus cum paulò deinceps Servatori  
Christo Magnò Fidelium Imperatori per Baptismum  
esset adscriptus, laudabili Parentum industria educatus  
fuit, & dehinc quotidianâ Informatorum instructus fi-  
delitate, ut solidam sibi acquireret rerum optimarum,  
& Linguarum cognitionem, atq; politiori litteraturâ  
mentem imbueret, qua Dn. Parentis & Majorum lauda-  
tam aliquando æquaret eruditionem. Paucis abhinc  
septimanis Hypochondriaco morbo infestatus est, ad  
quem cum tertio die Januarii alia accederent Sym-  
ptomata, videlicet exquisitissima cordis palpitatio, cum  
maximâ respirandi difficultate & vomitu sanguinolento  
conjuncta, & piè Defunctus Adolescens vitæ exitum  
imminere animadverteret, salutare extremi itineris  
viaticum à Reverendo & Clarissimo Dn. M. NI-  
COLAO RIDEMANNO Ecclesiaste vigilantis-  
simo, Dn. Affine & Collegâ junctissimo, Confessionario  
suo communicandû desideravit, cumq; devotè fe-  
riq; confessus esset peccatorum sarcinam, & intrepidè  
nihilominus spem remissionis, & vitæ melioris conse-  
quendæ in Servatoris innocentia & nece acerbissimâ  
collocasset, Sacro Eucharistico Pabulo infusâtâ cordis  
submissione, & expresso gaudii interioris docu-  
mento refectus est. Tandem 5. Januar. circa n. an-  
temeridianam placidissimo obitu expiravit, cum  
annum nondum complevisset vigesimum. Pietatis an-  
te hac & integritatis sectator fuit amantissimus, Paren-  
tibus filiale præstitit obsequium, Studiisq; impigrè in-  
vigi-



vigilavit, atq; de consilio Dn. Genitoris jam maturavit  
abitum ad Universitates externas, neq; substitisset in so-  
lo patrio diutius, nisi Optimi Jehovæ Patris consilio &  
placito ad florentissimam Cœli evocatus esset Univer-  
sitatem, ubi nulla barbaries, nulla morum turpitude,  
nulla periculi ne minimi quidem difficultas Studiosos  
æternitati consecratos infestabit. Non Te macerabit  
*Consultissime Vir*, Filii hujus obitus insperatus atq; subita-  
neus, neq; ante tempus illum abreptum existimabis,  
non etenim ante tempus fit, quod in omni tempore fie-  
ri potest, in omnem sanè ætatem morti aditus sunt mul-  
ti, præferum verò in ipsâ adolescentiâ. Cœterum  
cum hodiernâ luce ad urnam deferendæ sint corporis  
Exuviæ, Ordinum omnium Academici Cives pera-  
manter invitantur, ut funeralem hanc Deductionem  
præsentia suâ auctiorem & honoratiorem reddere non  
graventur, quod Excellentissimus Dn. Parens velut sin-  
gulare propensionis documentum mente gratâ agno-  
scet, doloriq; levamen non mediocre hoc officio  
præstitum esse experietur. P.P. sub Sigillo  
Rect. die XI. Jan. Anno 1653.


*Conventus horâ I. in eade B. Virginis  
instituetur.*























nescentis mundi amor maximam hor  
abripit : Optimè hæc olim Antistes C  
pressiu. *Quam rarus in terris est* (inquit)  
*habeat cum seculo, qui nihil mundi hujus sibi*  
*inflammet libido, non stimulet avaritia, neq;*  
*non luxuria decoloret, non sternat ambitio,*  
*dia, neq; aliqua negotiorum secularium cura*  
*qui diligitur fugit, & nihilominus stulti humi-*  
*mur, labenci tamen adbaremus, & quia labi*  
*possimus, cum ipso labimur, quem cadentem*  
cum probè sciant mortales, neq; verò  
ctissimè, & sedulo secum revolvant, fur  
est calamitas, quam ubi rectius examin  
tiores, facile à nimio luctu desistent, ub  
ciaffe Filios optatissimos viderint. Hoc  
quoq; revocaveris *Vir Consultiissime* (quod  
cturū esse nulli dubitamus) moerorem q  
cessu concipere poterat, facile remove  
accuratā iudicii dexteritate evidenter  
tum hunc admodum faustè ex Orbe fur  
ptum, & procellas decumanas, quibus  
tari potuisset, nunc penitus evitasse; qu  
candore paterno optima quævis dona i  
ptaveris, ista quibus potitus est, nunq  
neq; ægrius feres, quod ocysimè ad il  
Patriæ oras, ad quas Te aliquando felic  
latum iri piè confidis. Cum verò Fili  
virtutum studio sibi monumentum erig  
ne penitus memoria ejus collabascit, pa  
mus quibus ipse Majoribus vitæ origine  
ditus est in lucem Ornatissimus & Opt  
tionis Juvenis JACOBUS Krauthoff/A

A 3



em  
s ex  
mune  
non  
inet,  
invi  
ndus  
equi  
e non  
sta  
exa  
agna  
den  
nun  
aum  
o fa  
dis  
pro  
Na  
ere  
agi  
pro  
xo  
bis,  
rit  
ans  
iori  
erit,  
me  
E  
sta  
culi  
tri